



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Synopsis Annalium Societatis Jesu In Lusitania**

**Francus, Antonius**

**Augustæ-Vindelicorum, M. DCC XXVI.**

Annus 1720. Soc. 181.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72313](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72313)



Affecutus est feliciter, nam actus omnium explevit vota. Finis pompæ impo-  
situs perleganti oratione habita à P. Stephano Sequeira in artium facultate Ma-  
gistro, quæ cum libello jurisjurandi tanquam ipsius pars in lucem edita.

21. In insula Madeira noster Ignatius Marius Coadjutor Transmontanus <sup>Devotio Ro-</sup>  
mirâ felicitate introduxit usum recitandi alternis vocibus diebus singulis tertiam <sup>farii.</sup>  
partem Rosarii, ut in majori parte sacrarum ædium urbis Funchalensis quotidie  
hujusmodi obsequio honoretur Virgo sanctissima. Ex urbe manavit pia con-  
suetudo in alia oppida, & insulam, quam dicunt Portum sanctum. Idem socius  
fieri fecit decem Virginis Deiparæ simulacra, quæ magnâ pompâ diversis in tem-  
plis locabantur. Additæ solemnes supplicationes. Res tanta digna visâ est, ut  
referretur ejus initium, & author, in libros fidei publicæ.

22. Anni postremâ die hymnus *Te DEum* decantatus eò magnificentiæ <sup>Hymnus Te</sup>  
crevit, ut hæc in majus non videatur augeri posse. Figurato Cantu hymnum <sup>DEum.</sup>  
composuit P. Christophorus Fonseca nostræ Societatis musices peritissimus. Qui  
in arte erant excellentiores Ulyssipone, fassi sunt insignis Magistri opus esse.  
Nec ullus fuit, qui tot choros (erant enim quindecim) manu suâ auderet mo-  
derari. Necesse est visum ipsum P. Christophorum agere moderatorem in  
eo templi loco, unde posset ab omnibus observari. Concursum in templo no-  
stro Domus Professæ nunquam visus augustior, Reges, Infantes, Cardinalis In-  
quisitor Generalis, Nuncius, Patriarcha, Legati Regum, Duces, Marchiones,  
Comites, & quidquid Ulyssipone grande erat. Accessere ex aliis capita sine  
numero. Studiosi nostrarum scholarum à multo tempore musicis instructi nu-  
meris suo loco respondebant choris. Quidquid vocis, & instrumenti musici exqui-  
situm erat Ulyssipone, in templo audiebatur. Sumptum Patriarcha sustinuit.

## Annus 1720. Soc. 181.

I.

**A**Nnis quinque secuturis, non sine consilio, summa tantum rerum capita at-  
tingam; aliâs fortè, si hinc opus novum ordiri lubeat, amplius deducen-  
da. Et quidem anno labente deponunt socii Lustrani pileos rotundos,  
quibus hæcenus usi fuerant, & sumunt quadratos, quales habent Itali nostri.  
Duodecim ad Indiam proficiscuntur, uno pauciores ad Maranoniâ. Adven-  
tant ex India P. Antonius Guizenrot Procurator Goanus, & P. Brolis Antonius  
Brandolinus Procurator Malabarensis. Inter alias missiones duo comitati sunt  
Illustrissimum Patriarcham in lustratione dicecesis. Dux Banensis, qui causâ ob-  
tinendi Ducatum Averientem venit hoc anno Ulyssiponem, tributâ bonâ pe-  
cuniæ summâ, benefacit Missioni Maranonsi. Fabricatur ampla domus in  
prædio Eborensis Collegii dicto Castello ventoso. Molinistæ sacerdotes capti  
in urbe Visensi, & puniti ab Inquisitoribus suos, suasque edocebant, nostros  
Confessarios fugerent, ut detegeretur pestilens doctrina. Collegium Portuense  
evincit litem magni momenti motam ab viris importunissimis contra Collegii  
villam prope Durium. Stephanus Pirus janitor scholarum Conimbricensium  
obiens legat sua bona nostro Collegio Eborensi, cui fidelissimè servierat. Con-  
cessum ab A. R. Patre posse aperiri Gymnasia in Domo Professæ Villavissolana,  
ut sit Viennæ, Pragæ, & Venetiis: sed non fuit, qui daret necessarios reditus.  
Vitam perituram cum perenni commutarunt, Conimbricæ Petrus Machadus  
Coadjutor, Emmanuel Madureira, sacerdos; Bracharæ P. Stanislaus Oliveira;  
in Residentia Labrugensi P. Martinus Sylva.

## Annus 1721. Soc. 182.

I.

**I**nfans Dominicus Franciscus rediens Mourâ hospitatur in Eborensi Collegio,  
editis in nos suæ regiæ benevolentia præclaris significationibus. Mortui  
sunt, Ulyssipone P. Antonius Soufa Rector Seminarii, P. Joannes Oliveira,  
P. Joannes Seco olim Principum Magister, Antonius Rodericus Coadjutor,  
P. Georgius Gelartius; Romæ 11. Februarii P. Franciscus Caeiro Revisor; Eboræ  
Michaël